

nactus est Virum Nobilissimum & experientissimum, Christianum Falckium, artis Medicae Doctorem famigeratissimum, nunc Practicum apud Hamburgenses felicissimum: matrem Theodoram Fribin. Annum agens quartum, cum dilectissimis parentibus, patriam istam eius cum celeberrimo Germaniae emporio mutantibus, Hamburgum petiit, ibidemque crescentibus sensim annis, ductu Rosavii & Teurkaufii, priuatos inter parietes, tum pietatis, tum humaniorum literarum prima iecit fundamenta, donec in tantum adolefceret ingenium, vt ad collegia & studia altioris indaginis subeunda capax iudicaretur. Insignem itaque vt animum in Anatomicis adhuc rudem imbuerent, Viri doctissimi, Wichers Medicinae Doctor, anno huius seculi XI. & Gertmannus eiusdem artis Doctor & Anatomicus peritissimus, anno XII. eiusdem seculi nauarunt operam, cuius posterioris sinceram informationem anno subsequente XIII. in docendis physicis tandem expertus est noster, donec fato cedere, summo cum discipuli moerore, cogeretur vir longiore vita dignus. Vulnus hocce sibi inflicto, vix satis laudandae Fabricii eloquentiae, Mulleri Physices, Edzardi Logices, Mentzeri matheseos Doctorum aequae ac Professorum Gymnasii Hamburgensis longe celeberrimorum diligentia largiter refarciuit. Lipsia deinde cum sinu suo fouit, nutriitque aliquamdiu, donec ampliorem excolendi studii Medici occasionem Lugdunum Batauorum Anno Seculi XVI. dederit. In hoc enim artium liberalium & praesertim Medicinae celeberrimo Emporio, Viris non sine insigni encomio nominandis, Boerhauius in Botanicis, Theoreticis, Practicis, Chemicis, Deckero & Albino in Practicis & Materia Medica; Rauio in Anatomicis; s' Grauesandio in Physicis vsus est Praeceptoribus. Accessit deinde hanc nostram Academiam, & postquam aliquamdiu in ea vixit, & Professoribus eius longe celeberrimis innotuit, eximium eorundem candorem, doctrinam, humanitatem publice laudat, eorundemque memoriam grato in pectore semper seruabit. Nomen vero Facultati Medicae haud ita pridem per literas dedit, & ad examina consueta admitti petiit, & postquam priuata summa cum laude sustinuit, dignus nobis est visus, qui ad publicum examen admitteretur. Huic actui Solemni, cum destinatus sit proximus dies Veneris, XVIII. Octobris, Magificum D. Procancellarium, & Senatum Academicum Amplissimum, vna cum aliis Literatorum & literarum Fautoribus, Cives etiam Academiae generosos & nobilissimos, ea, quae par est obseruantia & humanitate invito. P. P. Kiliae Holsatorum Dominic. XX. post Trinit. MDCCXX. sub Sigillo Facultatis.